Fragmentarium

VIII B20/92

eum erecto collo. et pingui ceruice armatus
est. Operuit faciem eius crassitudo. et de late
ribus eius aruina dependet. Habitabit in
ciuitatibus desolatis. et in domibus desertis
que in tumulos sunt redacte. Non ditabitur
nec perseuerabit substantia eius. nec mittet
in terra radicem suam. Non recedet de tenebris
ramus eius. arefaciet flumina. et auferetur
spiritu oris sui. Non credat frustra errore deceptus
quod aliquo precio redimendus sit. Antequam
dies eius impleantur peribit. et manus eius
arescent. Ledetur quasi uinea in primo flore
botrus eius. et quasi oliua proiciens florem suum.
Congregatio enim hypocrite sterilis. et ignis
deuorabit tabernacula eorum. qui munera
libenter accipiunt. Concepit dolorem et pe
perit iniquitatem. et uterus eius preparat
XVI dolos. Respondens autem iob. dixit. Audi
ui frequenter talia. Consolatores honerosi
omnes uos estis. Numquid habebunt finem
uerba uentosa. aut aliquid tibi molestum
est si loquaris. Poteram et ego similia uestri
loqui. atque utinam esset anima uestra pro anima
mea. et consolarer ego uos sermonibus. et moue
rem caput meum super uos. Roborarem uos
ore meo. et mouerem labia quasi parcens
uobis. Sed quid agam. Si locutus fuero non
quiescet dolor meus. et si tacuero. non recedet
a me. Nunc autem oppressit me dolor meus.
et in nichilum redacti sunt omnes artus mei.
Ruge mee testimonium dicunt contra me.
et suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam.
contradicens michi. Collegit furorem suum in me.
et comminans michi infremuit contra me
dentibus suis. Hostis meus terribilibus oculis me
intuitus est. Aperuerunt super me ora sua expro
brantes. percusserunt maxillam meam. saci
ati sunt penis meis. Conclusit me deus apud
iniquum. et manibus impiorum me tradidit.
Ego ille quondam opulentus. repente contritus
sum. Tenuit ceruicem meam. confregit
me. et posuit me quasi signum. Circum
dedit me lanceis suis. conuulnerauit lum
bos meos. Non pepercit. et effudit in terram
uiscera mea. Concidit me uulnere super
uulnus. irruit in me quasi gigas. Saccum
consuit super cutem meam. et operuit cinere
carnem meam. Facies mea intumuit fletu.
et palpebre mee caligauerunt. Hec passus
sum absque iniquitate manus mee. cum ha
berem mundas ad deum preces. Terra non
operias sanguinem meum. neque inueniat
locum in te latendi clamor meus. Ecce enim
in celo testis meus. et conscius meus in excelsis.
Verbosi amici mei. ad deum stillat oculus
meus. Atque utinam sic iudicaretur uir cum deo.
quomodo iudicatur filius hominis cum collega
suo. Ecce enim breues anni transeunt. et
semitam per quam non reuertar ambulo.
Spiritus meus attenuabitur. dies mei breuiabun XVII
tur. et solum michi superest sepulchrum. Non
peccaui. et in amaritudinibus moratur oculus
meus. Libera me domine et pone me iuxta
te. et cuiusuis manus pugnet contra me.
Cor eorum longe fecisti a disciplina. et propter
ea non exaltabuntur. Predam pollicetur
sociis. et oculi filiorum eius deficient. Posuit
me quasi in prouerbium uulgi. et exemplum
sum coram eis. Nunc autem derident me
iuniores tempore. quorum non dignabar
patres ponere cum canibus gregis mei. Cali
gauit ab indignatione oculus meus. et membra
mea quasi in nichilum redacta sunt. Stu
pebunt iusti super hoc. et innocens contra
hypocritam suscitabitur. et tenebit iustus
uiam suam. et mundis manibus addet for
titudinem. Igitur uos omnes conuertimini
et uenite. et non inueniam in uobis ullum
sapientem. Dies mei transierunt. cogitati
ones mee dissipate sunt. torquentes cor

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/7, VIIIB20/8, VIIIB20/9, VIIIB20/10, VIIIB20/11, VIIIB20/12, VIIIB20/13, VIIIB20/14, VIIIB20/15, VIIIB20/92, VIIIB20/94, VIIIB20/97, VIIIB20/98, VIIIB20/104, VIIIB20/115, VIIIB20/116, VIIIB20/117, VIIIB20/164, VIIIB20/183, VIIIB20/92, fol. [2]r – Bible
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-bcyo/9157/68039)